



D E
P U L S A T I L L A
N I G R I C A N T E .

Pulsatilla nigricans. Off.

Anemone pratensis. Linn. Syst. nat. T. 2. Pag. 375.

Edit. ult.

Anemone pratensis. Jacquin. Enum. Stirp. Vindob.

Pag. 97.

Pulsatilla flore minore nigricante. Bauh. pin. 177.

Pulsatilla flore clauso. Lob. ic. p. 283.

Pulsatilla secunda. Boerh. ind. plant. 2. p. 1. pag. 39.

Gall Coquelourde noiratre. Angl. Blackish Anemone or Wind-Flower. Bat. Keuken-Schelle. Germ. Schwärzliche Küchen-Schelle; schwärzliche Windblume

D E S C R I P T I O P L A N T Æ .



*R*adix est oblonga, rugosa, inæqualiter crassa, perennis, fibrosa; hæc primo vere emittit *Folia* solummodo radicalia bipinnata, *foliolis*

A 4

con-

conserata angustioribus, elongatis, acumina-tis, inæqualiter divisis, obscure virentibus. Antequam *foliola* penitus evolvantur, ex-surgit *caulis* unus alterve teres, exfusco viridis, cinctus *Involucro* nonophyllo, pro-funde multoties ac inæqualiter diviso, externe subfuscō, interne obscure viridi; pars *caulis*, quæ supra involucrum emi-net, *Florem* gerit nudum, hexapetalum, fere clausum, coloris saturationis & quasi nigricantis! fundum floris *stamina* occu-pant *filamentis* numerosis, flavis, capill-aribus, *corolla* dimidio brevioribus, *an-theris* didymis, erectis; *Germina* in cap-itulum collecta *stylis* acuminatis, saturate purpureis terminantur, & in *semina* abe-unt acuminata, longiori cauda, pilosa, ornata.

Crescit hæc planta passim in locis apri-cis; floret mense Aprili.

Omnes ejus partes, paululum mastica-tæ, linguæ acerrimum, urentem, & diu per-

persistenter saporem imprimunt; sola radix mitior est.

Datur adhuc alia *Pulsatillæ* species, quæ *Pulsatilla vulgaris* dicitur, seu *Anemone Pulsatilla Linnæi*: hæc ob copiosam, densamque pubem, qua undique large tegitur, quasi ex viridi canescit; *Foliola* habet latiora; *Florem* gerit majorem, erectum, magis apertum, pallide violaceum: cæterum omnes plantæ partes, etiam diutius masticatæ, acres non sunt, & linguam sapore nauseoso ac leviter amaricante afficiunt. Aqua inde destillata vix non insipida est.

Dum hæc *Pulsatilla vulgaris* defloruit, tunc incipit nostra *Pulsatilla nigricans* florere, quam, ut colligentes a priori rite distinguant, & seligant, oro; etenim earum virtutes non videntur esse æquales.

Egregius ac Doctissimus *Jacobus Well* Pharmacopæus, ad ursum nigrum, mihi ex *Pulsatilla nigricante* paravit aquam de-stillatam & extractum.

Sumsit is plantam totam cum floribus, abjecta tamen radice, concissam imposuit cucurbitæ vitreæ, & adfudit octo partes aquæ fontanæ, & apposito capitello, adjunctoque excipulo ad balneum arenæ medietatem abstraxit.

Hocque abstractum asservavit sub nomine aquæ *Destillatæ Pulsatillæ nigricantis*, quæ admodum acris & penetrans est.

Reliquum adhuc paulisper decoxit, herbam aliquantulum expressit, percolavit, & colaturam ad extracti mollieris consistentiam lenissimo calore fecit evapori.

Extractum hocce linguæ impositum in principio leniter adstringere videtur, dein pungentes dolores excitat, & tandem ardorem diu permanentem producit.

Confeci ex hoc extracto binos pulveres; primum, qui leviorem extracti dosim continet, nominavi pulverem *A.*,

se-

secundum vero pulverem *B.*, qui duplam extracti dosim recipit.

B.. Extracti *Pulsatillæ nigricantis* gr. VII.

Sacchari albi dr. 1.

m. f. pulv. tenuissimus diu terendo
in mortario marmoreo.

B.. Extracti *Pulsatillæ nigricantis* gr. XIV.

Sacchari albi dr. 1.

m. f. pulvis tenuissimus diu terendo
in mortario marmoreo.

Ex pulvere *A.* assumsi quinque grana mane, & eandem dosim vesperi repetii, idque hac ratione præstiti per triduum; & quoniam nullum in me effectum percepi, sumsi grana decem mane & totidem tempore vespertino.

Ex hac dosi sensi semper aliquot minutis ab assumptione dolorem lancinantem in oculo dextro, in quo magnam contusio- nem biennio abhinc passus fui; quum ef- frænes equi currum, cui insidebam, vio- lento concussu invertebant; in reliquo au-

autem toto corpore nil prorsus incommodi animadverti.

Postquam per quinque dies quotidie grana viginti hujus pulveris deglutivissem, nullamque inde in me functionem turbari, aut lædi observassem, credidi: tuto & omni jure hunc pulverem posse exhiberi ægrotantibus.

Omnem curam parva pulveris A. dosi inchoavi, & didici dein experimentis iteratis, ægros ejus magnam quantitatem sensim sine omni molestia & noxa ferre. Aliqui acceperunt per diem unam, duas, tresve Drachmas.

Dum dofis pulveris A. ad drachmam medium vel drachmam integrum augebatur, exhibui tunc pulverem B., ut æger sub minori volumine eandem tamen extracti seu medicamenti portionem aquireret.

Ex herba sicca paravi infusum sequenti modo:

Her-

Herbae *Pulsatillæ nigricantis* dr. i.
consciss. infunde s. q. aq. fervid.
per $\frac{1}{4}$ hor. vase clauso dein colaturæ lib. i.

adde

Sacchari q. s. ad gratiam.

S. sumat æger ter quotidie vasculum
unum unciarum trium vel quatuor hujus
infusi.

Reddidi hoc infusum fortius, dum ad
ejusdem colaturæ quantitatem dr. ij. vel
dr. iij. vel unc. B. adhibui, idque ægri
sine molestia tulerunt.

Hoc infusum interne, & externe ap-
plicatum in fœdis & sordidis ulceribus op-
timos quandoque præstítit effectus.

Tentavi id etiam in tinea capitis anti-
qua admodum, verum cutis inflammaba-
tur, caput vehementer doluit, unde ab ul-
teriori experimento abstinentem judicavi.



Ex-

EXPERIMENTA.

EXPERIMENTUM I.

Fœmina, 35. annorum, a quinque annis & dimidio brachium sinistrum non poterat movere; erat enim totum rigidum, & emaciatum.

Causam mali rejecit in morbum rheumaticum, quo olim per totum corpus laboravit, & quo disparente brachium cœpit immobile fieri, & rigescere.

Remedia interna & externa hucusque nil profuerunt; ipsa vis electrica dolorem magnum produxit, sed malum non emendavit.

Huic exhibui mane drachmas duas aquæ destillatae *Pulsatillæ nigricantis*; eandem dosim vesperi iteravi. Primis binis diebus nullam sensit mutationem.

Unde tertio die suasi, ut sumeret manæ unciam dimidiæ, & totidem ad meridiem & vesperi.

Per-

Percepit tunc vagos & lacinantes in brachio dolores, & noctu pruritum ingentem.

Post octiduum cœpit digitos paululum movere, & dolores fuerent frequenter.

Dedi dein ter de die unciam integrum hujus aquæ, & jussi, ut mane & vesperi brachium totum probe fricaretur pannis laneis, & dein lavaretur aliquamdiu eadem aqua destillata ex *Pulsatilla nigricante*.

Intra binas septimanas potuit brachium elevari, & digitii movebantur liberius.

Debito tempore rediit fluxus menstruus, sed longe copiosior, ac alias esse solebat.

Quamdiu menstrua fluebant, ægra nec dolorem, nec pruritum sensit in brachio; his autem finientibus novus & valde molestus ortus est pruritus & compa- ruerunt pustulæ rubræ, copiosissimæ, quæ dein pure replebantur.

Dum

Dum primæ pustulæ exsiccatæ sunt, & in squammas secesserunt, novæ iterum multæ eruperunt; hoc aliquoties eodem ordine contigit, & ægra semper inde levamen habuit, atque spatio trium fere mensium poterat brachium libere in omnem partem movere, & eo uti ad solitos labores bene peragendos.

Eandem remedii dosim usque ad finem curationis semper assumxit, nec abstinuit, dum menstrua fluebant.

Neque lotio & lenis frictio brachii fuit intermissa, licet pustulæ suppurantes doluerint acriter & cutis superficies fuerit inflammata; quoniam his externe irritatis motus brachii semper factus est melior & liberior. Unde has molestias ægra patienter tulit.

Primitus diebus ex usu hujus remedii urina copiose educebatur, & ægra subinde levem vomendi conatumcepit; cæteroquin de nullo incommodo conquessta fuit.

Ex-

EXPERIMENTUM II.

Sacerdoti, 63. annorum, qui paralysi brachii & pedis dextri jam a decem annis laboravit, dedi mane & vesperi unciam dimidiam aquæ destillatæ *Pulsatillæ nigricantis*; spatio octidui nil mutatum fuit.

Sumsit dein ter de die unciam dimidiā, mox autem nausea ipsum prehendebat & vomendi conatus.

Suasi, ut dosim remedii iterum minueret, verum nec exiguum quantitatem amplius potuit deglutire, quin vomitus moveretur; unde erat ab hoc remedio abstinendum.

EXPERIMENTUM III.

Fœmina, 28. annorum, ante triennium a fœdis venereis ulceribus curata fuit, ab eo autem tempore sensit in omnibus membris & articulis continuos & dilacerantes dolores, qui quotidie ver-

B sus

sus horam quartam matutinam multa cum
vehementia exacerbabantur.

Appetit quidem, & reliquæ functio-
nes bonaæ erant, sed corpus mansit debi-
le & emaciatum.

Quæcumque adhibita remedia nil le-
vaminis adtulerunt, nec juverunt balnea.

Huic dedi mane & vesperi unciam
dimidiā aquæ destillatæ *pulsatillæ nigri-
cantis*, quam bene tulit; urina inde co-
pione fluxit, & primis diebus aliquoties
solvebatur alvus.

Sexto die noctu multum sudavit, &
sudor male olebat, dolores minuti sunt,
& somnus tranquillus usque ad horam sex-
tam matutinam duravit.

Octavo die catamenia prodierunt, quæ
solito longe copiosiora erant; nec dolor
colicus, qui alias semper ea praæcesserat,
tunc advertebatur.

Remedium etiam tempore catameni-
orum fuit continuatum; unde sensim re-
dierunt vires, habitus corporis iterum in-
cre-

crevit, tandem dolores cessarunt, & finita quinta septimana sanitas fuit bona.

EXPERIMENTUM IV.

Vir, 34. annorum, Gonorrhæa venerea neglecta, & inveterata jam diu vexabatur; præterea testiculus dexter durus fuit, & mole longe major sinistro.

Sumsit mane & vesperi unciam dimidiā aquæ destillatæ *Pulsatillæ nigricantis*; primo statim die oriebatur intollerabilis fere ardor urinæ; altero die idem ardor continuavit, & multus ichor fœtidus exstillavit ex urethra.

Tertio die æger in dimittendo urinam tantum sensit dolorem, ut fere in animi deliquium ceciderit; præscripsi tunc saturatum ex herba althæa decoctum, ut copiose id biberet tota die, nec tamen remedii alterius usum interrumperet.

Quarto die ardor longe minor fuit, ichoris stillicidium autem adhuc erat copiosius ac die præcedenti.

Quinto die omnia fuerunt mitiora, appetitus bonus, noctes tranquillæ.

Spatio trium septimanarum usu continuo ejusdem remedii & decocti emollientis gonorrhæa fuit integre curata, sed testiculus induratus permansit in eodem statu.

EXPERIMENTUM V.

Vidua, 42. annorum, tophos venereoſ in osse frontis, ad sternum, & utramque tibiam habuit, & dolores vehementes in omnibus artubus, qui vesperi ſemper valde exacerbabantur; oculo dextro jam a viginti annis nil vidi, quoniam cornea tota transparens panno erat Obducta; menſtruо fluxu jam a binis & dimidio annis caruit.

Exhibui ei mane & vesperi unciam dimidiā aquæ destillatæ *Pulsatillæ nigricantis*, quam sumſit per octiduum ſine effectu; id ſolum ſibi obſervare viſa eſt, lucem ſe quamdam confuſam oculo, quo
jam

jam per viginti annos nil vidit, percipere.

Auxi tunc dosim, & dedi ter quotidie unciam dimidiā ejusdem aquæ.

Post octiduum rediens dixit: dolores nocturnos esse minores, seque posse oculo suo dextro jam colores distinguere.

Examinando tophos, inveni eos in fronte longe minores, molliores; reliqui autem non sunt mutati; pannus in oculo erat tenuis, & hinc inde transparens.

Jussi, ut eadem dosi continuaret; quo contigit, ut spatio trium & dimidii mensium visum in oculo, jam a tot annis obfuscato, recuperaverit, ut dolores nocturni cessarint, disparueruntque tophi in fronte; verum reliqui nec mole nec duritie minuebantur; erant tamen absque dolore.

His ægra contenta abstinuit a remedio, ex cuius usu nil insoliti unquam observavit.

EXPERIMENTUM VI.

Ancilla, 26. annorum, tophis venereis valde magnis a quinque mensibus laborans in utraque tibia, dolores nocturnos enormes patitur, & extenuatur fluore albo.

Tentavi eandem aquam, exhibendo mane unciam dimidiā, & totidem vesperi.

Intra octiduum nil levaminis sensit; suasi, ut ter de die sumeret unciam dimidiā; inde videbantur dolores nocturni leviores per aliquot dies; verum pauclo post eadem cum violentia redierunt.

Exhibui tunc ejus aquae unciam integrum mane, ad meridiem, & vesperi, ita ut quotidie tres uncias deglutiverit; ast nec inde malum emendatum fuit, licet per sex septimanas diligenter & magna cum constantia eam assumserit.

Hinc ut ab hoc remedio abstineret jussi.

Præ-

Præscripsi dein saturatum florum *Flammulæ Jovis* infusum, ex quo, spatio trium mensium, integre convaluit, pinguis facta est, & nupsit.

EXPERIMENTUM VII.

Ancilla, 14. annorum, in tota facie, collo, & pectore ulcera habuit fœda, & fœtido ichore manantia; in hac tentavi pulverem *A.*, exhibendo mane grana decem, totidem ad meridiem, ac vesperi; ulcera jussi bis quotidie infuso florum sam-buci ablui, & dein tegi emplastro dia-pompholygos.

Primis quatuordecim diebus omnia vi-debantur mutari in melius; copia ichoris minuebatur, & margines ulcerum futu-ram cicatricem promittebant.

Verum hæc iterum evanuerunt subito, & ulcera redierunt æque mala, licet ægra quotidie drachmam integrum, dein drach-mam unam & dimidiam hujus pulveris as-sumserit per multas septimanas.

Exhibui dein ter quotidie vascula bina saturati infusi *flamulae Jovis*, & bis quotidie conspersi ulcera pulvere ejusdem plantae, & texi emplastro diampompholygos; felix inde sequebatur successus; etenim spatio binorum mensium ulcera erant firma cicatrice clausa, & sanitas fuit bona.

EXPERIMENTUM VIII.

Homo, 21. annorum, a pessimis velipenduli & palati ulceribus venereis curatur; manet autem ipsi pertinax admodum ophthalmia, & opacitas in utroque oculo; dextro quidem oculo confuse quædam videre potuit, in sinistro autem albugo visum penitus impedivit.

Parotis dextra jam a longo tempore scirrhosa fuit & magna.

Remedia omnis generis mercurialia, antimonialia, aliaque interna & externa, longo & diligenti usu applicata, nihil juverunt; æger potius inde vires prosterni,

vi-

visum diminui, & appetitum deleri, noctesque inquietas reddi conquerebatur.

Ideo dabantur ipsi grana viginti pulveris *A.* mane & totidem vesperi.

Primis octo diebus magnus in oculis dolor ortus est, & copiosissime plorabant oculi.

Data dein fuit ter quotidie similis dosis ejusdem pulveris, & inde sequebatur multa salivatio, qua prodiit gluten tenacissimum.

Salivatio duravit per aliquot dies, & visus in oculo dextro melior factus est, & ad oculum sinistrum cœpit lumen obscure penetrare.

Cessante salivæ fluxu insurgebat diarrhæa copiosa, fœtidissima; eadem nihilominus dosi & eodem remedio continuavimus, quoniam æger nequaquam debilis reddebatur, & in oculis magnum sentiebat levamen.

Sponte desit diarrhæa, & tunc caput cœpit vehementer dolere per biduum.

Spatio quinque septimanarum oculo dextro omnia sat bene distinxit, isque fere totus serenus fuit; in sinistro lumen magis percipiebatur, & cœpit manifeste dissipari albugo.

Aucta tunc dosis remedii fuit, exhibendo ter quotidie drachmam dimidiam ejusdem pulveris.

Ex hac dosi iterum novus in oculis dolor sequebatur, & dixit æger: se sentire ac si quis cultro aliquid in oculis abraderet, nec tamen oculi rubeant, lachrymæ multæ exstollarunt, & fluxit urina solito longe frequentior & copiosior.

Post aliquot dies dolores in oculis remiserunt, cœpit emolliri parotis schirrhosa, & finito secundo mense visus iterum melior fuit.

Dedimus tunc ter quotidie drachmam dimidiam pulveris *B.* & hac dosi in quartum mensem pereximus, quo tempore æger utroque oculo bene omnia videre po-

potuit, & simul a parotide scirrhosa integrum curatis fuit.

EXPERIMENTUM IX.

Vir, 35. annorum, crurum paralysi, & ingenti ad os sacrum dolore jam a longo tempore laborat; varia & maxime efficacia remedia nil juvant.

Dantur ei grana XV. pulveris *A.* mane & totidem vesperi.

Primitus sex diebus dolorem sat acutum in ventre sensit quotiescumque hunc pulvarem assumxit, is autem ultra medium horam nunquam duravit.

Septimo die afficiebatur diarrhœa, & tunc dolores ventris cessarunt.

Postquam per 20. dies usus erat hoc pulvere, percepit dolores ardentes, lancinantes & vagos a digitis pedum ad inguina usque; præterea nil mutatum fuit.

Dedimus tunc grana XX. ejusdem pulveris bis per diem, & inde aucti sunt dolores in cruribus & præsertim in digitis pedum.

Post

Post binas septimanas potuit crura aliquantulum movere, surrexit e lecto, ambulare tamen non poterat.

Exhibebatur tunc bis per diem drachma dimidia pulveris *A.* & dolores in cruribus aucti sunt.

Octiduo post dolores ad os sacrum vehementes adeo fiebant, ut somnum impedi-
verint.

Sumsit tunc ter de die grana XX. pul-
veris *B.*, & mox haimorrhoides cœpe-
runt copiose fluere per triduum.

Finito haimorrhoidum fluxu dolores
ossis sacri evanuerunt, & ii in cruribus
multum sunt diminuti.

Dedimus tunc ter quotidie grana
XXX. pulveris *B.* qua dosi jam per ali-
quot septimanas continuat, & dolores
in cruribus cessant, æger surgit e lecto,
ambulat solus, sed valde adhuc est de-
bilis.

Ex-

EXPERIMENTUM X.

Vir, 48. annorum, ulcera venerea in faucibus & lingua tota habet, quæ remediis antevenereis non solum non cedunt, sed serpunt semper, & vicinas partes magis in latum & profundum corrodunt.

Tentavimus pulverem *A.*, exhibendo ter quotidie grana viginti.

Per quinque dies nullam vidimus in ulceribus mutationem, sed urina ingenti copia profluxit.

Dedimus tunc ter quotidie grana XXX. ejusdem pulveris, & sensim videbantur puriora fieri ulcera.

Demum auximus remedii dosim præbendo ter quotidie grana XXX. pulveris *B.*, & hac dosi æger intra quatuor septimanas integre curatus est.

EXPERIMENTUM XI.

Homo, 30. annorum, ex apertis tumoribus Lymphaticis ulcera habuit magna

gna ad scapulam sinistram, & ad cubitum
brachii dextri, genu sinistrum tumuit,
& erat immobile.

Ulcera tantam seri copiam fundebant
continuo, ut æger cæperit contabescere,
licet usus fuerit optimis remediis, & diæta
lactea.

Præ nimio in genu dolore nec pedi in-
sistere, & minus adhuc ambulare potuit.

Exhibuimus ei pulverem *A.*, incipiendo a granis XV. mane, todidem ad
meridiem, & vesperi, sensim auximus
dosim, donec ter quotidie drachmam
integram hujus pulveris absumserit.

Primis diebus sensit dolorem in abdo-
mine ex asumpto pulvere, postea au-
tem nil amplius incommodi percepit, nec
ulla alia in corpore mutatio contigit.

Spatio trium mensium ulcera sunt fir-
miter consolidata, tumor ad genu fuit
multum diminutus, rediit quædam in ge-
nu nobilitas, æger ambulat, & recupe-
rat vires naturales.

Ex-

EXPERIMENTUM XII.

Ancilla, 24. annorum, ulcus habet fœdissimum in lingua, quo lingua fere tota a basi ad apicem usque bifurcata, & erosa fuit.

Per multos menses laudatissimis usa est remediis; verum nec mali limites poterant coiceri, nec ullum unquam levamen observabatur.

Spatio autem quinque septimanarum ex usu pulveris A. non solum ulcus purum fuit redditum, sed & replebatur pulchra carne, & totum bona cicatrice obducebatur; in apice solummodo levis adhuc excoriatio superest, ad quam destruendam penitus eodem adhuc pulvere parva dosi utitur.

Vires autem habet optimas, & solita servitia omni cum alacritate & constantia peragit.

In principio ex usu pulveris tormina sensit; dein autem sequebatur alvi flu-

xus

xus, qui omnem ventris dolorem sustulit.

Observavit quoque ægra urinam longe copiosius ab hoc pulvere moveri.

Menstrua ipsi redierunt solito tempore, & sub usu pulveris erant longe abundantiora, & per plures dies durarunt.

EXPERIMENTUM XIII.

Fœmina, 34. annorum, ulcere venereo & carie ossis frontis laborat.

Remedia antivenerea diu applicata vix ullum auxilium adferunt.

Pulvis autem *B.* spatio trium mensium cariem destruxit, induxitque firmam & bonam cicatricem.

EXPERIMENTUM XIV.

Ancilla, 25. annorum, gerit a longo tempore tumorem lymphaticum ad articulum genu dextri, qui a perito chirurgo lanceola fuit pertusus, & effluxit multa lymphæ turbida.

Fa-

Facta incisione tumor concidit; verum lymphæ stillicidium continuat, genu dolet multum, & ægra incipit contabescere.

Præter alia remedia sumsit decoctum corticis peruviani cum lacte, & externe applicabatur cataplasma ex herbis resolventibus, & aqua vegeto-minerali *Gouvardi*; malum autem nequaquam fuit emendatum, & genu iterum magis intumuit.

Datus igitur fuit pulvis *B.*, quo intra paucos dies mitior fiebat dolor in genu, & ægra potuit dormire.

Sensim quoque minuebatur lymphæ stillicidium, genu detumuit, dolores cesfarunt.

Tandem spatio binorum mensium consolidatum fuit ulcus, ægra ambulat sine omni dolore, recuperat vires, genu adhuc paulisper tumet.

Sub usu pulveris ægra advertit urinam solito copiosiorem cieri, & alvum habuit laxam; præterea nil insoliti observavit.

C Ex-

EXPERIMENTUM XV.

Ancilla, 17. annorem, fluore albo venereo, condylomatibus ad pudenda, ulceribus faucium & linguæ pessime afficitur.

Consuetis remediis tolluntur condylomata, sistiturque fluor albus; ulcera autem permanent æque sordida, & serpent continuo.

Datur pulvis A., & spatio unius mensis ulcera omnia sunt optime curata, & rediit robusta sanitas.

Urinam primis diebus abundantius moveri sensit ægra ex usu hujus pulveris, aliud nihil insolidi accidit.

EXPERIMENTUM XVI.

Fœmina, 28. annorum, oculo sinistro jam ab aliquot annis nil videt, nec lumen distinguit, quoniam pannus crassus totam corneam transparentem occupat.

Re-

Rēmedia interna & externa juvant nihil.

Data ideo fuerunt grana XX. pulveris *A.* mane, totidem circa meridiem, & vesperi.

Primis statim diebus enormes in oculo affecto dolores ægra conquerebatur, quotiescumque hunc pulverem assumxit.

Hi vero sensim mitiores facti sunt, & tandem cessarunt.

Decimo quarto die pannus videbatur tenuior, & ægra lumen optime discernebat a tenebris.

Exhibebantur tunc ter de die grana XV. pulveris *B.*, & hæc dosis ad curationem perficiendam suffecit.

Etenim spatio binorum fere mensium pannus evanuit, ægra eo oculo omnia vidit, & distinxit.

Præter dolores in oculo affecto, quos primis diebus ægra patiebatur, nullam aliam mutationem in corpore suo percepit.

EXPERIMENTUM XVII.

Ancilla, 25. annorum, tophum venereum habuit ad articulum sinistrum maxillæ inferioris; hic in suppurationem abiit, & solitis remediis ulcus, inde ortum, curabatur; remansit tamen quidam tumor, & dolor ingens in parte læsa, & maxillæ motus omnis fere erat impossibilis.

Datur pulvis *A.*, unde in principio dolores augentur, & ægra cogitur fere omni momento urinam dimittere.

Post decem dies maxilla fit mobilior, dolores autem sunt adhuc magni.

Spatio sex septimanarum cessant dolores, tumor evanescit, maxilla liberius movetur, & ægra cibos suos sine molestia masticat, & deglutit.

EXPERIMENTUM XVIII.

Puella, 14. annorum, amaurosi laborat in utroque oculo, & præter lumen confusum nil videt, pupillæ sunt dilatatae, immobiles.

Dan-

Dantur ter quotidie grana XV. pulveris *A.*, unde sensit in oculis validos dolores.

Decimo quarto die jam quædam videre potuit, & pupillæ erant mobiliores.

Spatio binorum fere mensium visus integer rediit, pupillæ factæ sunt naturales, & optime mobiles.

Hæc puella primis tribus septimanis ex usu hujus pulveris quotidie bis terve purgata fuit, nec tamen se debilem inde sensit; cæteroquin de nulla re conque-rebatur.

EXPERIMENTUM XIX.

Puella, 15. annorum, albuginem habet in utroque oculo; videt quidem, sed nec colores nec objecta potest distinguere.

Varia applicata collyria, aliaque penetrantissima ac solventia remedia interne adhibita malum nequaquam emendant.

C 3

De-

Demum sumsit ter de die grana XV.
pulveris *A.*, unde in principio magnos
in oculis dolores sensit, & levi diarrhæa
laboravit, post paucos autem dies cœpit
visus emendari, & spatio sex septima-
narum omnis albugo disparuit; & oculus
dexter fuit perfecte curatus; sinister au-
tem fuit adhuc debilis; hinc pergit in usu
eiusdem pulveris, & spes est: fore ut
is quoque integrum suum robur recuperet.

EXPERIMENTUM XX.

Fœmina, 39. annorum, a 14. annis,
amaurosi laboravit in oculo dextro, &
sinister oculus eodem malo afficiebatur a
sesquianno.

Misera nil potuit videre, nec diem a
nocte discernere, nec sola ambulare.

Postquam multa adhibuisset remedia
sine omni effectu, sumsit tandem pulve-
rem *A.*

Dolores validissimi, dilacerantes, per-
terebrantes & laciniantes in oculis a prin-
ci-

cipio orti sunt, & cœperunt oculi vehementer plorare.

Post tres septimanas proruperunt menses copiosi, qui jam ab aliquot annis retinebantur.

Post sex circiter septimanas cœpit lumen clare distinguere, & pupillæ in utroque oculo fiebant mobiles.

Quinque nunc menses finiti sunt, quibus utitur hoc pulvere, & oculo sinistro objecta videt, colores distinguit, & sola per plateas ambulat; dexter autem oculus male se habet, licet pupilla sit mobilior, & luminis sensus penetret; nullus autem color discernitur, nec figura objecti.

Ulteriori autem usu hujus pulveris speramus hunc quoque oculum bonum futurum, cum jam quædam in melius mutatio observetur.

Ægra autem est quam contentissima, quoniam uno oculo videt, & sola ambulare potest.

Menstruorum fluxus ipsi omni tertia septimana reddit; reliquæ corporis actiones sunt quam sanissimæ.

EXPERIMENTUM XXI.

Fœmina, 33. annorum, primis diebus puerperii summis in mamma dextra doloribus afficitur; mamma tumet, dura est, rubet.

Applicatis bonis remediis dolor mammae cessat, rubedo disparet, durities emollitur, sed mox vehementissimus dolor occupat aurem utramque, & altero die pus effluit ex utroque meatu auditrio, & dolor remittit.

Hic puris fluxus durat per quinque dies, & tunc sponte sistitur.

Triduo post conqueritur ægra de tensione in oculis; dicit sese objecta non rite videre; tandem perit totus visus, & oritur amaurosis in utroque oculo.

Applicata vesicantia ad nucham & post aures, data remedia purgantia, aliaque de-

derivantia, solventia, discutientia &c., nil levaminis adferunt, & malum durat per septem annos.

Nunc sumit per tres & dimidium menses pulverem *A.* & jam sola ambulat, & incipit objecta etiam minora discernere.

In principio magnos in oculis dolores ex usu hujus remedii passa est.

Menstruorum fluxus semper bonus & regularis fuit.

EXPERIMENTUM XXII.

Ancilla, 20, annorum, ante medium annum laboravit ophthalmia inflammatoria in oculo sinistro, quæ in suppurationem abiit.

Pus corneæ laminam exteriorem penetravit, & relinquebatur inde crassa cicatrix, & tota cornea fuit opacata, atque ægra eo oculo nil poterat videre.

Cum incassum tentata fuissent plurima remedia, tandem dabatur pulvis *A.*; cuius uso spatio binorum menfium cornea

C 5 se-

serena & pellucida facta est, cicatrix evanuit, & ægra visum integre recuperavit.

Huic ægræ retinebantur menses jam ab integro fere anno, qui mox ab uso hujus pulveris comparuerunt copia bona, & observarunt deinceps semper debitum ordinem, & solitam periodum.

EXERIMENTUM XXIII.

Mulier, 43, annorum, ex partu difficulti afficitur amaurosi utriusque oculi, & jam a binis fere annis nil videt.

Exhibetur ei pulvis *A.*, qui in principio ingentes in oculis dolores produxit; spatio autem septem septimanarum tantum boni præsttit, ut ægra jam rite per agat labores domesticos, & sola possit per plateas incedere.

EXPERIMENTUM XXIV.

Mulier, 40. annorum, dextro oculo nil videt, quoniam lens crystallina grisea est, & penitus opaca.

Uti-

Utitur nunc pulvere *A.* per sex septimanas, & lens fit tenuior, & ægra eo oculo jam quædam videt, distinguit.

EXPERIMENTUM XXV.

Juvenis, 22. annorum, visum in utroque oculo adeo debilem habet, ut characteres majoris etiam magnitudinis legere amplius non possit.

Penetrantissima ipsi adhibita sunt remedia sine omni effectu; nunc per sex septimanas sumit pulverem *A.*; & jam comode legit impressos characteres, & reliqua omnia objecta melius videt.

EXPERIMENTUM XXVI.

Vir, 42, annorum, casu fortuito sibi vulnus inflxit in medio corneæ oculi dextri; magna sequebatur inflammatio, quæ repetitis venæ sectionibus, aliisque remediis derivantibus ac antiphlogisticis mitigata fuit, verum mansit fœda cicatrix, & crassa opacitas in tota cornea.

A

A variis varia collyria, aliaque remedia applicabantur; morbus autem semper in pejus mutabatur.

Nunc per tres menses usus est pulvere *A.*, & vix amplius cicatricis minimum vestigium superest, cornea tota optime pellucet, & oculus objecta perfecte videt.

EXPERIMENTUM XXVII.

Puer, 8. annorum, ante binos annos variolis laboravit, & his superatis oriebatur inflammatio in utroque oculo, qua dispacente remansit opacitas in tota cornea oculi dextri, & sensim formabatur pannus crassus; in oculo sinistro observatae sunt variæ maculæ albæ, quæ visum turbarunt.

Spatio binorum & dimidii mensium usu pulveris *A.*, oculi ambo perfecte sunt curati.

Ex-

EXPERIMENTUM XXVIII.

Juvenis, 22. annorum, a septem mensibus gerit testiculum dextrum indu-ratum, & magnum ex gonorrhæa, re-mediis adstringentibus suppressa.

Tentavimus pulverem A., & spatio binorum mensium testiculus ad statum naturalem fuit redactus.

EXPERIMENTUM XXIX.

In viro, 31. annorum, eodem morbo laborante eundem pulverem adhibui-mus longo tempore, verum nulla fiebat mutatio.

EXPERIMENTUM XXX.

Vir, 24. annorum, pertæsus diuturnæ gonorrhææ, parat sibi injectiones ex remedii saturninis, quibus virulentæ ma-teriei fluxus sistitur; & urinæ ardor cessat

Se tunc cito curatum gloriabatur, & gaudebat; verum post duodecim circiter dies

dies dolorem obtusum sensit in testiculo dextro, & eum tangendo observat esse multo majorem, & durum valde.

Sumsit remedia purgantia & mercucialia, sed sine effectu per alquot septimanas.

Tandem me accessit, & re bene examinata adhibui pulverem *A.*, ex cuius usu spatio binorum mensium magnum levamen sensit; etenim testiculus mollis factus est, & multo minor; & tunc se jam curatum putavit, & ab ulteriori usu remedii abstinuit.

Contigit postea, ut iterum præter causam sibi cognitam idem testiculus valde intumuerit, durus admodum evaserit, & cœperit multum dolere.

Unde anxius rediit, & novam pulveris dosim efflagitavit.

Dedi tunc purgans ex granis XL. Jalap. & totidem granis cremoris tartari; & altero die præbui grana XX. pulveris *B.*

ma-

mane, eandem dosin iteravi ad meridiem,
& vesperi.

Hac ratione, diligenter continuando,
spatio novem septimanarum perfecte con-
valuit æger; testiculus naturalem magni-
tudinem, mollitatem, & figuram iterum
obtinuit.

EXPERIMENTUM XXXI.

Homo, 29. annorum, pannum cras-
sum jam a 23. annis habet in oculo sinistro
supra totam corneam transparentem.

Hoc malum ex variolis confluentibus
originem derivavit.

Pulvis *B.* intra paucos dies manife-
stam induxit mutationem; pannus hinc
inde tenuior & transparens fiebat, &
æger cœpit lumen bene distinguere.

Mensis spatio pannus evanuit, & re-
linquebatur solummodo in latere sinistro
levis nubecula; quæ sensim quoque dif-
flatur.

Sta-

Statim in principio dedi huic ægro ter quotidie scrupulum unum pulveris *B.*, nec amplius dosim auxi.

EXPERIMENTUM XXXII.

Fœmina, 50. annorum, ab aliquot annis laborat in oculo dextro amaurosi, & in sinistro habet cataractam.

Nunc in tertium mensem utitur pulvere *A.* & iris in oculo dextro fit mobilis, & cataracta jam videtur multo tenuior, sed ægra nullam adhuc lucem percipit.

EXERIMENTUM XXXIII.

Vir, 40. annorum, ex morbo acuto, gravi admodum, visum in utroque oculo sensim amisit; in dextro orta est amaurosis, & in sinistro glaucoma.

Per aliquot annos utebatur variis remediis, sed a nullo sensit in oculis levamen.

Per binos menses nunc sumit pulvrem *A.*, & glaucoma minuitur, iris in ocu-

oculo amaurotico mobilis fit, & æger candelam vespertino tempore lucentem distinguit.

EXERIMENTUM XXXIV.

Puer, 6. annorum, oculo dextro fere nihil videt, quoniam is totus est opacus, & turbidus ex morbo varioloso, quem biennio abhinc passus est.

Sumsit nunc pulverem *A.* per binos & dimidium menses, & oculus est serenus, & visus bonus.

EXERIMENTUM XXXV.

Puella, 9. annorum, ad depellendam oculi dextri inflammationem applicuit collyrium ex aqua rosarum, & vitriolo albo; valde tunc doluit oculus, & aucta fuit inflammatio.

Venæ sectionibus & remediis antiphlogisticis alvum ducentibus opus erat, ut suppuratio impediretur.

D

Ces-

Cessit tandem inflammatio, sed man-
sit opacitas in tota cornea, & oculus erat
adeo sensilis, ut nec minimum lumen fer-
re potuerit.

Dedi ter de die grana X. pulveris *A.*,
& altero statim die oculus, qui antea erat
totus siccus & aridus, cœpit multum plorare.

Spatio octidui puella eodem oculo po-
tuit lumen sat commode ferre.

Finito mensis spatio oculus bonus fuit;
nec necesse erat augere remedii dosim,
quoniam has cito & bene perficiebatur
curatio.

EXPERIMENTUM XXXVI.

Juvenis, 13, annorum, ad angulum
externum oculi dextri habet tumorem ex
rubro lividum a medio anno, & tota ejus-
dem oculi cornea est opaca, & obducta
crassa albugine.

Suasi ut ter de die sumeret grana X.
pulveris *A.*, qui in principio magnos do-
lores excitavit in oculo et tumore.

Spa-

Spatio octidui ex tumore fiebat abscessus, qui sponte rumpebatur, & pus bonum, copiosum effluxit.

Curavi dein ruptum tumorem tegi emplastro diach. simplici, & jussi, ut continuaret pulverem *A.* eadem dosi.

Spatio unius mensis tumor totus dissipatus est, & oculus naturalem pelluciditatem recuperavit.

EXPERIMENTUM XXXVII.

Puer, 10. annorum, ulcus sordidum & magnum habuit ad tibiam pedis dextri, collum & scapulam dextram serpigo antiqua occupavit.

Sumsit ter de die vasculum infusi lenioris *Pulsatillæ nigricantis*, & eodem infuso eluit mane & vesperi ulcus, & dein lintea carpta eodem infuso madida applicuit.

Spatio binorum fere mensium non solum ulcus perfecte fuit curatum, sed etiam serpigo tota evanuit.

Urina ex usu hujus infusi copiose eliciebatur.

EXPERIMENTUM XXXVIII.

Vir, 46. annorum, in oculo dextro propter cataractam admodum densam nil videt.

Sumsit nunc per quinque septimanas pulverem *B.*, & cataracta videtur tenuior, & æger, dum candela incensa fertur in cubile, lucis splendorem percipit.

Magnos semper ex assumpto remedio dolores sentit in oculo affecto.

EXPERIMENTUM XXXIX.

Vetula, 65. annorum, ultra viginti annos oculo sinistro prorsus nil videt; erat enim is totus ex ophthalmia inflammatoria destructus, & habebat figuram, molemque præternaturalem.

Sumsit per binos menses pulverem *A.*, unde in principio dolor ingens in oculo oriebatur, post aliquot dies cœpit pus per

per narem sinistram mungendo prodire,
dein ex partibus internis palpebrarum, &
earum margine copiosum pus protrudeba-
tur; membranæ crassæ, albæ, & varie-
gati coloris, factæ sunt tenuiores, moles
oculi diminuta est, & ægra hoc oculo po-
test nunc objecta distingue.

EXPERIMENTUM XL.

Vir, 62. annorum, in oculo sinistro
jam ultra septem annos habet cataractam,
& nihil videt, oculus dexter ita quoque
debilitatus & sensim turbidus factus est,
ut miser nec labores suos amplius perfic-
cere, nec solus in platea ambulare po-
tuerit.

Sumsit ter quotidie grana X. pulveris
B., & jam solus per plateas incedit libere,
& labores suos, qui oculum exactum re-
quirunt, peragit, & in oculo sinistro can-
delæ lucentis splendorem percipit.

D 3

In

In hoc ægro promptissimum remedii effectum observavi; nam hæ mutationes spatio duodecim dierum contigerunt.

Sunt adhuc numerosissimi ægri, qui extracto *Pulsatillæ nigricantis* utuntur, & in pluribus bonum effectum jam experior.

Vir, 35. annorum, pertinacissima melancholia laborans, & totus macilentus sumsit pulverem *B.* & inde intra paucum tempus reficiebatur, perversæ mentis ideæ disparuerunt, rediit robur, & sanitas.

Unde putabam: idem forsan medicamentum profuturum Epilepticis aut Maniacis.

Rogavi propterea Dominum *Faucken* & Dominum *Rechberger*, ut in suo Nosocomio ad S. Marcum, ubi tot homines similibus malis affecti decumbunt, experimenta instituerent.

Verum nec in morbo epileptico, nec in mania ullum ex hoc remedio effectum observarunt.

Au-

Augebatur dosis, donec epileptici drachmas duas, & aliqui maniaci drachmas tres pulveris *B.* per diem assumisset; nec ullo modo inde afficiebantur.

COROLLARIA.

- 1.) *Pulsatilla nigricans* est remedium innocuum & efficax.
- 2.) Aegri videntur facilius ferre extractum hujus plantæ, quam ejus aquam destillatam, quoniam haec majori dosi data aliquibus conatum vomendi, & nauseam excitavit.
- 3.) Nihilominus sunt aegri, qui hanc aquam sine omni molestia assumunt, & iis subinde prodest in vehementissimis artuum doloribus nocturnis, in tophis venereis &c. profuit quoque quibusdam paralyticis.
- 4.) Extractum *Pulsatillæ nigricantis* solvit potenter, nil tamen in corpore turbat.

D 4

5. Plu-

- 5.) Pluribus movet urinam copiose.
- 6.) Quibus tormina ventris exitat, & dein leviorē diarrhēā, his salutare plerumque est.
- 7.) In quibusdam chronicis oculorum affectibus videtur maxime convenire, & vix non specifice in oculos agere.
- 8.) Bonum est: si ægri sentiant inde in oculis dolorem.
- 9.) Amaurosim subinde curat, quandoque diminuit cataractam; pannos autem, ungues, & albugines frequenter dissipat, neque opus est ullo remedio externo.
- 10.) Infusum *Pulsatillæ nigricantis* tuto quoque datur interne, applicaturque externe in fœdis ulceribus, in carie, & serpigne.
- 11.) Quibusdam fœminis fluxum menstruum, præternaturaliter suppressum, *Pulsatilla nigricans* iterum excitat, & redigit in ordinem.

APPEN-

APPENDIX.

Biennio abhinc edidi libellum de usu interno & externo herbæ *Flammulæ Jovis*, & multis experimentis comprobavi: *Flammulam Jovis* efficacissimum quandoque Remedium esse in pertinacissimis & diuturnis capitum doloribus, in ossium doloribus nocturnis, in cachexia venerea, in scabie, herpete, in ulceribus ichorosis, fungosis, cancrosis, in carie ossium &c.

Iterata experimenta usu ejusdem herbæ & a me & aliis multis Medicis instituta eundem iterum effectum, & eandem efficaciam confirmant & adtestantur.

Fœminæ plures, summa & tristissima melancholia laborantes, infuso *Flammulæ Jovis* integre restitutæ sunt.

Ferdinandus *Leber* chirurgiæ Professor cancrum exulceratum mammæ, qui nec cicuta nec aliis medicamentis mitigari poterat, sola *Flammula Jovis* radicitus percu-

ravit publice coram suis discipulis & quibusdam Medicis.

De usu & utilitate *Cicutæ* ulterius disserere superfluum arbitror; quum novi viros cordatos, & bonos Medicos illam ea, qua par est, æquitate respicere, illamque ægris suis optato cum successu persæpe adhibere.

Extractum *Aconiti* flore cœruleo, seu Extractum *Napelli* nova experimenta semper magis magisque commendant; & est sane! egregium medicamentum, quod parva dosi multum præstat.

Prodest frequentissime in malis venebris, ubi laudata alia remedia incassum adhibentur.

Tollit quandoque exostoses venereas, & articulos rigidos reddit mobiles.

Levavit saepius Podagram, Arthritidem, & Rheumatismos pertinacissimos.

Dedi hoc extractum in similibus morbis, etiamsi febris adfuisset valida; sed tunc adjunxi debitam nitri quantitatem.

Et

Et observavi hac methodo aliquoties vehementissimos dolores fuisse intra aliquot horas penitus dissipatos, qui per multos dies copiosissimis aliis medicamentis nec leniri poterant.

Plerumque sudor largus sequebatur.

Ægri ferunt hujus extracti grana duo, tria, quatuor, quinque &c. nycthemeri spatio, dosibus divisis.

Oxymel ex recenti & succulento *Colchici autumnalis* Bulbo paratum, plures iterum gravi hydrope, vel & asthmate glutinoso pessime affectos curavit pellendo urinam, aut promovendo sputa copiosa.

Si hoc oxymel ex Bulbo arido vel farinoso conficiatur, tunc caret omni efficacia.

Extractum *cicutæ* mixtum cum oxy-
melli *colchico* in hydrope, a viscerum ob-
structionibus orto, sæpe mira præstat.

Hyosciami Extractum spasmos & con-
vulsiones frequenter compescit; juvat
quandoque in morbo epileptico, in ma-
nia, & furore.

His-

Hisce diebus vidi sacerdotem optime valentem, & fungentem munere honorifico, ad quod perfecta mentis sanitas requiritur, qui ante binos annos mania laboravit.

Similes casus existunt plures.

Fœmina, 38. annorum, per tres integros annos singulo mense bis vexabatur paroxysmo gravissimo epileptico, curata solo *hyosciamo*, jam ultra annum optime se habet, hilaris est & libera ab omni malo.

Hyosciamus tusses molestissimas phthisicorum quandoque longe melius & citius mitigat, quam ipsum opium.

Parva dosi subinde optimo cum successu exhibui extractum *Hyosciami* in convulsionibus infantum, ortis a terrore.

Hoc extractum recta methodo datum ægris nunquam nocet, & confert sæpe.

Miror propterea magnæ famæ Medicum in ultimo suo tractatu extractum *Hyosciami* aut inutile pronunciare aut noxiū;

xium; licet id propria experientia non observaverit, sed audierit solummodo ex aliorum relatis.

Ego certus sum, quod doctissimus ille Vir, quem vere veneror, aliam de *Hyosciamo* sententiam confiteretur, si solita sua prudentia ejus extractum in ægris suis tentaret.







